



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In  
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij  
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

**Peñafiel, Alonso**

**Lugduni, M.DC.LXXIIX.**

2. Nostra Sententia probatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)



# Vtrum Transcendat vltimas differentias. 217

entis, quæ est in Deo, & creatura, & cum illam rationem entis videat in creatura, iudicat quasi separari, cum nunquam realiter ratio entis, quæ est in creatura, separatur ab illa; nec è conuerso quæ est in Deo; unde cum falsa suppositione fundetur argumētum, falsum est illud, & ita falsum, vt etiam ipsi Scotistæ debeant solvere illud; nam ipsi dicunt rationem entis, quæ est in Deo, licet formaliter distinguatur a modo increato, non tamen distingui realiter, imo identificari realiter: ergo euidenter sequitur non posse separari realiter; imo propter hanc rationem dicunt Scotistæ, ens modum non componere realiter in Deo; quia non possunt separari: ergo in omnium sententia solvendum est.

149 Ad tertium distinguo maiorem, non sunt virtualiter realiter idem, concedo, formaliter nego: ad probationem idem dicitur, ad vltimum illius partis distinguo maiorem, idem respectu eiusdem formaliter & virtualiter, concedo, formaliter idem, & virtualiter distinctum, nego.

150 Ad primum vltimæ partis respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam: ad probationem distinguo, habet rationem conueniendi, si illa ratio confuse cognoscatur, concedo, clarius nego.

151 Ad vltimum nego sicutitatem quod entitatem, & distinctionem, & præterea nego suppositum, quod ens, & modus component, non enim component, sed constituunt.



## DVBIVM INCIDENS.

*Vtrum ens transcendat vltimas differentias rerum.*

### SECTIO I.

*Sententia aduersaria proponitur.*

**P**RIMA sententia asserit ens non includi in differentiis vltimis; ita Scotus in 1. distinct. 3. q. 3. & dist. 8. q. 2. & in 2. dist. 1. q. 6. probatur, nam vna differentia non est alia, vt per se notum est; ergo vel conuenit cum alijs in conceptu quidditativo entis, vel non; si non conuenit: ergo non includit talem conceptum, in sua quidditate, & essentia, quod intendimus: si autem conuenit cum alijs in illo conceptu, necesse est quod per aliquid aliud differat: ergo vna differentia differt ab alijs per aliam differentiam: ergo illa definitio non erit vltima, quadoquidem in aliam vltiorem resoluitur, & tunc vltius eodem modo inquirendum erit, de illa alia differentia, an includat conceptum quidditativum entis, in quo cum alijs conueniat, atque ita, vel procedemus in infinitum, vel sistendum erit in vltima differentia, quæ ita per se differat ab omnibus alijs rebus vel conceptibus, vt neque in conceptu entis conueniat, & consequenter intrinsece, & quidditative rationem entis non includat: nam si includeret, conueniret in ea cum alijs, si autem conueniret, indiget alia differentia, qua differret iuxta doctrinam Arist. 5. met. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. quod ea quæ inter se conueniunt differentiis differunt: R. P. J. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

atque hæc ratio eodem modo applicari potest ad modos intrinsecos, quibus ens contrahitur ad prima decem genera; nam cum vnumquodque illorum generum concipiatur per modum entis completi, certum est quidditative includere rationem entis; in qua omnia illa genera conueniunt: ergo oportet vt aliquibus modis, seu differentiis differant; de illis ergo modis vltius queritur, an includant ens: nam si non includunt, hoc intendimus; si vero includunt, querendum est, per quid differant ab alijs, & quo modo ad illos modos contrahatur ens; & ita, vel procedetur in infinitum vel sistendum erit in aliqua differentia; seu modo qui non includat ens: ergo cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sistendum erit in primo illo modo; quo contrahitur ens ad substantiam, quantitatem, &c.

Confirmatur hoc ex proportionem inter Metaphysicam, & Physicam compositionem; vtraque enim fit ex potentia, & actu, seu (vt Scotus loquitur) ex determinabili, & determinante: sed in compositione physica resolutio vltima fit ad vltimam potentiam determinabilem; quæ in sua entitate nihil includat formæ, seu actus determinantis, & ad vltimam formam seu actum determinantem, quæ nihil includat potentie determinabilis: ergo similiter in compositione metaphysica omnium entium, resolutio facienda est in vltimos conceptus determinabilem, & determinantem, quorum vnus alium non includat, nec è conuerso: sed omnis hæc resolutio ex parte conceptuum determinabilium fit vltimate in conceptum entis, in quo vt sic actu non includitur aliquis modus, seu differentia determinans: ergo etiam ex parte conceptus determinantis debet correspondere aliquis modus, vel differentia, quæ nullo modo includat conceptum entis determinabilem. Denique de passionibus inter plures rationes multiplicat Scotus quas nunc omitto, quia de ijs passionibus dicendum est ex professo disputat sequens.

### SECTIO II.

*Nostri sententia probatur.*

**C**onclusio: ens transcendit vltimas differentias rerum; hæc est communis sententia Thomistarum, & Doctorum Societatis Iesu, patet manifeste.

Primo omnibus argumentis, quibus questione superiori probauimus perfectatem esse ex natura rei ens, quæ argumenta non solum probant esse ens à parte rei, sed etiam formalissime sub quacumque præcisione conceptam, nam perfectitas, & rationale sub quacumque consideratione concipiuntur, sunt intelligibilia vera, & bona: ergo sunt entia, quia cui conuenit attributum conuenit essentia. Secundo, quia rationale quatenus rationale, & sub quacumque præcisione concipiatur, est non repugnans existere, & non repugnans produci à Deo: ergo est ens reale; item est positivum quid, quatenus rationale, vt patet ex supradictis, quæ facile possunt accommodari ad rationale adhuc formaliter conceptum: sed quidquid est positivum ea ratione qua positivum est, est ens: ergo rationale sunt entia formalissime; ergo ens imbibitur in vltimis differentiis rerum & transcendit ipsas.

E e Secundo



4 Secundo principaliter sic argumentor, quia rationale quatenus rationale formalissime, & secundum ultimum conceptum rationalitatis excedit imperfectione irrationale, & brutum, ut tale est essentialiter: ergo ut sic est magis perfectum quam irrationale: sed magis perfectum dicit maiorem perfectionem in conceptu, quo est magis perfectum: ergo rationale in suo ultimo conceptu, dicit maiorem perfectionem: sed maior perfectio dicit rationem positivam essendi, quia perfectio quatenus talis immediate, & ex se non est nihil, neque est negatio essendi: ergo est aliquid, & affirmatio essendi; sed affirmatio essendi est ens: ergo vel perfectio est ens, vel necessario, & essentialiter dicit entitatem, cui essentialiter innitur perfectio, quia perfectio sine entitate non potest concipi, quia perfectio ut perfectio cum sua definitione essentiali est eminentia seu excellentia entis, in qua definitione expresse includitur ens: ergo rationale ut rationale includit ens essentialiter.

5 Declaratur amplius, quia rationale ut rationale, quatenus tale, & quatenus est principium ratiocinandi, distinguitur ab irrationale, & à bruto, non ut æquale in perfectione; sed potius ut excedens in illa, quia sicut ratiocinatio excedit in perfectione irrationationem, ita etiam rationale formalissime excedit brutum: atqui non excedit extrinsece neque materialiter solum; sed formalissime essentialiter, quia in tantum excedit in quantum rationale est species distincta ab irrationale, quia species sunt sicut numeri, quorum unum excedit semper alium, & sic non dantur duo numeri æquales, sed potius secundum formalissimam, & essentialem rationem, unus numerus est maior altero, quia v. g. quaternarius excedit ternarium per quartam unitatem; sed quarta unitas non solum materialiter; sed etiam formalissime convenit quaternario: ergo quaternarius non solum materialiter, sed etiam formalissime excedit ternarium: ergo si rationale quatenus est species, & quatenus est principium essentialiter ratiocinandi excedit brutum, & esse principium ratiocinandi non solum materialiter; sed etiam formaliter, & essentialiter est principium ratiocinandi: ergo rationale non solum materialiter, sed etiam formalissime est perfectius, & includit perfectionem per quam excedit brutum: ergo magis perfectum aut perfectius prædicatur formalissime de rationali; sed de perfectiori aut de magis perfecto formalissime prædicatur ratio essendi, seu habere essentiam, & esse positivum, & immediate opponi non enti, & nihilo: ergo formaliter, & de primo ad ultimum prædicatur ens de rationali: sed rationale est ultima differentia secundum Scotum: ergo de ultima differentia prædicatur ens, transcendit ipsam, & imbibitur in ipsa.

6 Tercio principaliter sic probatur, quia si ratio entis non imbibetur, in ultima differentia esset, quia non sumitur à tota forma secundum omnes gradus illius, aut, quia seipsa differt ab alia; sed neutrum obest ut dicatur essentialiter ens: ergo.

7 Maior est ipsa ratio adversariorum: minor sic probatur, quia sensibile quod non est ultima differentia non sumitur à tota forma totaliter, & ex alio capite seipsa differt ab opposita differentia, & nihilominus in ipsa essentialiter, secundum ipsum Scotum includitur ens: ergo non ob-

stat id quod dicunt adversarii ut ultima differentia includant essentialiter rationem entis.

Minor patet, quia sicut rationale non sumitur ab anima rationali, secundum omnes gradus vivendi, sentiendi, &c. sed tantum secundum ultimum, quatenus est principium ratiocinandi, & per seipsam, & non per aliam differentiam ab irrationale distinguitur; ita sensibile in homine non sumitur à tota forma secundum omnes gradus, cum non sumatur ab anima rationali secundum gradum ratiocinandi, alias differentie formaliter confunderentur, & equus qui habet perfectam sensibilitatem, haberet animam rationalem, à qua secundum gradum ratiocinandi sumeretur talis sensibilitas, quod est falsissimum: sed solum sumitur ab anima secundum gradum sentiendi, quatenus anima est illius principium, neque habet aliquid ratione cuius, & non seipsa distinguitur ab insensibili: ergo quod dicitur ab adversariis totum reperitur in sensibili, quod non est ultima differentia, & nihilominus illud non obstat, ut dicatur ens intrinsece, & essentialiter: ergo à paritate rationis, non potest obesse in ultima differentia, ut sit essentialiter ens, quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus vel quasi effectus formalis.

Vergetur, quia ens à quo nec realiter, nec formaliter distinguuntur modi ultimi, & ultime differentie à parte rei, ut patet ex dictis *questionibus superiori*, est communissimus, & universalissimus essentialis conceptus, & superior omni illo quod vere est, & propter hanc rationem immediate opponitur nihilo seu non esse ut sic: ergo quæcumque differentia includit ens essentialiter: hæc consequentia sic patet, quia quæcumque differentia in suo ultimo conceptu est aliquid quod particulare; ergo includitur sub universalissima omnium ratione, quæ comprehendit omnem particulare, in quo distinguitur universalitas entis ab universalitate cæterorum universalium, cætera enim universalia, quia inesse universalium sunt particularia, non comprehendunt omnia particularia, sed solum aliqua, de quibus prædicantur, ut videre est in substantia, quæ comprehendit solum substantias, & non accidentia; at vero universalissima omnium ratio quæ ens est; sed positivum ut sic debet comprehendere quodcumque particulare, reale, positivum quod vere est, ac proinde formalissime debet de eo prædicari; sed differentia etiam ultima, ut rationale, & perfectas vere sunt aliquid, & vere sunt positivum aliquid, & sic vere producuntur à Deo, & vere formalissime sunt constitutiva alicuius veri positivi formalissime oppositi non enti, & nihilo: ergo tales ultime differentie comprehenduntur sub universalissima omnium ratione essendi; scilicet ens ut sic, seu positivum ut sic: ergo positivum ut sic prædicatur formalissime de illa.

Confirmatur ultimo, quia rationale quod ultima differentia est formaliter, & ut tale, & sub quacumque præcisione est causa principalis, ac proprium, & præcipuum principium ratiocinationis; sed si non esset ens formalissime ut sic, aut si non esset formaliter positivum, non esset principium præcipuum, aut causa principalis formaliter illius: ergo rationale, quatenus tale formalissime est ens, seu positivum esse positivum: maior est definitio rationalis, & sic est evidens: minor



nor sic demonstratur, quia id quod non est ens, & quod non est positivum, non potest esse principium positivi entis: sed ratiocinatio, quia est actio, passio, & qualitas vitalis essentialiter est ens, & positiva ratio, quia quicquid directe ponitur in predicamento est ens positivum, & ens essentialiter predicatur de illo, cum autem actio vitalis, qualitas, & passio directe constituent predicamenta, & in ipsis formaliter sint, inde est quod ratiocinatio seu intellectio, quae aut est actio formalissime solū aut actio, & qualitas formalissime, &c, constituat predicamentum actionis, vel qualitatis, ac proinde essentialiter formalissime ratiocinatio est ens & positiva entitas, quia ratiocinatio non est ultima differentia alicuius speciei, sed potius est species completa actionis, & sic necessario predicatur de ipsa omne superius illius, ut est ens, &c. sicut de homine predicatur ens, in vestra sententia, quia est species, & non ultima differentia: ergo si rationale essentialiter, & formaliter non est positiva ratio, seu non est ens, non poterit esse causa principalis ratiocinationis; maior sic demonstratur, quia causa principalis dat totum esse effectui, quia nihil est in effectu, quod non tribuatur a causa, sed nemo dat quod non habet, & quod non continet: ergo si causa non continet predicatum quod est in effectu, non poterit tribuere effectui, sed per vos ratiocinatio, quae est effectus rationalis est positiva ratio, & realis entitas: ergo non potest esse effectus rationalis, quia rationale, quatenus tale per vos non continet predicatum entis, & positivi quod continet ratiocinatio, alias haberet aliquid effectus quod non contineretur in causa, quod est falsissimum: sed rationale non materialiter, sed formalissime est causa principalis ratiocinationis: ergo formalissime debet continere praedicata omnia, quae sunt in effectu: ergo continet rationem entis, quia illa est in effectu.

SUBSECTIO I.

Tertium argumentum principale ponitur.

**T**ertio argumentor: sumo differentiam quantumvis ultimam, seu modum rem formaliter constituentem, modus iste vel est formaliter possibilis oppositus impossibili, vel non est formaliter possibilis oppositus impossibili; si primum habeo intentum, quod scilicet includat formalissime ens, nam ratio entis in ista maxima abstractione, de qua loquimur in huiusmodi possibilitate consistit, si dicatur secundum infero evidentem: ergo formaliter non est possibilis: tuncque evidentiū: ergo formaliter est impossibilis, quia non possibile idem est quod impossibile, sed quod impossibile formaliter, & in re, repugnat in se, & formaliter, tanquam pura chymera: ergo huiusmodi modus esset formaliter, & in re chymera, atque adeo res constitueretur in suo esse essentialiter per chymeram, & per entia prohibita, & repugnantia, quid absurdus, Auditores optimi.

**C**onfirmatur, Scotus ponit huiusmodi modos, & differentias indentificari realiter cum ente: ergo non potest asserere esse formaliter impossibiles, quia quod formaliter est impossibile, formaliter, & ab intrinseco repugnat esse, quod autem formaliter, & ab intrinseco repugnat, non potest esse identificatum reale, cum vero ente; nam vero.

R. P. de Ideph. Peñafiel, Theol. Schol. Tom. I.

rum ens reale distinguitur realiter ab ente repugnante, & impossibili distinctione reali negativa, ut notum est: ergo ad identitatem realem, quam admittit Scotus inter has differentias cum ente, necessum est asserere esse formaliter possibiles secundum potentiam logicam, seu non repugnantiam ad essendum, & consequenter quod ens, de quo non loquimur, transcendit has differentias quantumvis ultimas.

Nec responderi poterit huiusmodi modum, seu differentiam ultimam ab utroque praescindere, neque esse formaliter possibilem, neque impossibilem, quia isti sunt termini contradictorii, & universalissimi omnium, a quibus nemo praescindit.

Sic argumentor, si iste modus formaliter posset praescindere a possibili, vel non possibili, darentur propositiones contradictoriae, quae neque essent determinatae verae, neque determinatae falsae: sed praescinderent a veritate, & falsitate; consequens est absurdum, quia inter opposita contradictoria, una propositio debet esse vera determinata, & altera falsa: ergo.

Probo assumptum fundamentum ad hoc, ut ex duabus contradictorijs sine medio, una debeat esse vera, & altera falsa est illud notissimum, & universalissimum principium metaphysicæ, quodlibet vel est, vel non est: ergo nullum est quod a parte rei est, sub quacunque formalitate, & ratione quod ab huiusmodi principio praescindat, quod sine ulla dubitatione ab omnibus admittitur. Vnde si praescindit, datur locus, ut contradictoria oppositio praescindat a veritate, & falsitate, sed per te modus iste in sua formalitate praescindit ab esse, & non esse, quia neque est possibilis formaliter, neque non possibilis, ac proinde asseris praescindere: ergo admittere teneris oppositionem contradictoriam praescindere a veritate, & falsitate, quod est falsissimum.

Deinde, quia tu ipse qui asseris rem veram posse praescindere ab esse, & non esse, si contra te arguatur, cogendus eris ad fatendum non posse praescindere ab affirmatione, & negatione; nam id quod praescindit ab uno, eo modo quo praescindit, non est illud sicut animal, quia de se praescindit a rationali, non est rationale: ergo si ultima differentia praescindit ab esse, & non esse, neque erit esse, neque erit non esse, sed in hoc modo loquendi involvis contradictionem, & negas id quod affirmas quod est omnino absurdum: ergo absurdum est dicere rationale posse praescindere ab esse, & non esse: maior sic demonstratur interrogando a te, an rationale sit? dicis non est, quia praescindit: ergo dicis non esse: ergo quando dicis praescindere ab esse, asseris non posse praescindere a non esse, si quidem non potes explicare praescensionem entis ab esse, quin asseres necessario rationale non esse, & comprehendi sub altero membro contradictorio; sicut econtra, si interrogant a te an rationale non sit? ais praescindere a non esse; sed praescindere est non esse id a quo praescindit: ergo si rationale praescindit a non esse: ergo non est non esse, sed non est non esse est duplex negatio essendi, & duplex negatio super aliquod subiectum non negat, sed potius affirmat ipsum subiectum; unde per hanc phrasin, v. g. necnon vidi; significamus me vidisse affirmative, quia duplex negatio supra vidi, est affirmativum videre; sed quando dicis rationale praescindere a non esse, dicis rationale non esse

E e 2 esse



esse ipsum non esse: ergo ponis duas negationes supra esse: ergo non negas esse, sed potius affirmas esse, ac proinde quando asseris velis, nolis, esse, & comprehendis sub altero contradictorio immediate opposito, ratione cuius, licet contendas pertinaciter præcindere rationale ab esse vel non esse, nihilominus si ratione præmaris explicatione terminorum fundata, sine dubio coactus vi illius fateberis sine dubio non posse præcindere rationale ab utroque contradictorio: sed potius est affirmandum, quando non includitur sub vno necessario includi sub altero, quod prædicetur de ipso formalissime; sed rationale formalissime est, subiectum prædicationis: ergo vel est possibile necessario, vel non possibile, sed non potest dici quod sit non possibile, quia quod actu est non potest esse non possibile, vel impossibile, quia non possibile negat, tum esse, tum possibilitatem essendi: sed in rationale non datur negatio actus possibilitatis: ergo nec datur negatio ipsius possibilitatis, sed potius positive affirmatur, quod datur rationale, vere, sine fictione, quod est actus possibilitatis: ergo datur ipsa possibilitas quod est posse, seu potentia talis actus, quia ab actu ad potentiam, optima est consequentia, sed omne possibile ut distinguitur ab impossibili seu non possibili est ens reale: ergo rationale ut rationale formalissime est ens reale.

17 Addiderim quod si modus rationalitatis præcindit ab ente, & non ente: ergo non est ens determinate, sed non ens determinate est determinate non ens: ergo si rationale determinate non est ens, est determinate non ens, quia hæc propositiones sunt æquipollentes: ergo licet esset verum quod determinate non sit ens, nihilominus non est verum quod determinate non sit non ens; sed simpliciter est falsum dicere quod rationale determinate sit non ens, siquidem est vere, & realiter sine fictione: ergo debet esse verum id, quod negat determinate non esse: sed id quod negat determinate non esse, est negatio non essendi determinate, est negatio negationis determinate essendi: ergo est affirmatio determinate essendi, quia negatio negationis est affirmatio; sed subiectum affirmans esse determinatum, est determinatum ens: ergo rationale determinate est ens: ergo non præcindit ab ente.

18 Ut ultimum formem argumentum, adverte quod quamvis ex ente communi, & particulari modo, seu ultima differentia, non constituitur aliquid per strictam compositionem, tamen ex illis constitui aliquid tanquam ex formalibus constituentibus, identificatis inter se, sicut, v.g. persona Patris constituitur per divinitatem, & relationem, non tanquam ex componentibus, sed potius tanquam ex simplicibus constitutivis, ita in nostro casu, quo posito,

19 Ultimo sic argumentor, rationale ut rationale formalissime constituit substantiam intellectualem: ergo tale rationale intrinsece, & formaliter est partialis substantia. Probo consequentiam, quia constitutivum adæquate substantiæ, debet esse in adæquata substantia: sed rationale formalissime est constitutivum hominis, qui est adæquata substantia; seu completum ens per se: ergo rationale formalissime debet esse substantia formalissime incompleta. Patet consequentia, quia totum habet suum esse à constitutivis intrinsecis & formalibus: ergo si totum habet esse substan-

tiale, quatenus constituitur à rationali, rationale debet esse substantia, & habere esse substantialem: sed substantia formalissime est ens: ergo rationale formalissime est ens.

Confirmatur ad hominem contra adversarios<sup>20</sup> exemplo continui, continuum enim, & divisibile non potest componi ex indivisibilibus tanquam ex partibus in vestra sententia, quia cum indivisibile nullam in se formaliter habeat extensionem, non potest ratione talis indivisibilitatis extensionem, & divisibilitatem habere continuum; itaque quod non est divisibile per vos, nullo modo potest constituere divisibile, quia nemo dat quod non habet: ergo quod in suo conceptu formali non est substantia, neque ens per se non poterit constituere substantiam, & ens per se propter eandem rationem: ergo si hominem quem rationale formaliter constituit, est substantia completa, sine dubio ipsum rationale erit substantia saltem incompleta, & si minime est substantia, minime constituet hominem, ut substantia est intellectualis, quia ita pugnant inter se, & distant ens, & non ens, sicut extensum, & non extensum, divisibile, & indivisibile: sed per vos formalissime non potest constitui extensum ex non extenso, divisibile ex non divisibili: ergo propter eandem rationem non poterit constitui ens ex non ente, substantia ex non substantia: at qui certissimum est hominem quatenus talem, & quatenus est animal rationale, esse substantiam intellectualem, & quatenus substantiam intellectualem constitui à rationalitate: ergo quatenus constituitur formalissime ab illa est substantia: ergo rationale quatenus est constitutivum illius, est substantia: sed substantia formalissime est ens per se, & ens per se formalissime est ens, sicut animal rationale formalissime est animal: ergo de primo ad ultimum rationale formalissime est ens.

Respondent aliqui rationale, & alios modos huiusmodi non esse ens, sed potius aliquid entis, & ut alij loquuntur ens ut quo.

Sed contra, quia ut bene ait P. Suarez, hæc responsio solum videtur in verbis consistere, quoniam esse ens ut quo, nihil aliud est quam esse formam, seu actum realem in metaphysica constitutione, nulla autem potest esse forma vel actus realis alicuius, nisi in se sit aliquid reale quod est esse in se ens reale: ergo repugnat dicere aliquid esse reale quo, & non ens ut quo: nam illud quo in huiusmodi quod necessario fundari debet.

Quod in omni compositione physica, inductione<sup>22</sup> ostendi potest, est autem eadem ratio in metaphysica constitutione, quia etiam in illa potentia, & actus concipiuntur ut constituenta integram realitatem, seu essentiam: unde in se etiam considerata necessario concipi debent, ut habentia aliquid realitatis, seu essentia; saltem partialis; alias non possent concipi ut apta ad constituendum, & complendum essentiam realem, quia quicquid est in essentia, essentiale debet esse, & quicquid est in quidditate, quidditativum debet esse, & hæc ratio applicari potest ad omnes differentias, tam ultimas quam non ultimas, genericas, específicas, & individuales: quia eadem ratio datur in ultimis, ac non ultimis; præsertim, quia differentia non ultima ideo includit ens, quia sumitur à forma secundum aliquem gradum realitatis eius; sed etiam differentia ultimæ intrinsece sumuntur à forma (quia differentia ultima est metaphysica forma: sed omnis



nis forma metaphysica sumitur à forma physica: ergo omnis differentia vltima sumitur à forma secundum aliquem gradum realitatis eius: ergo etiam includit ens. Minor declaratur, nam in substantia, modus per se sumitur ex realitate cuiuscumque naturae substantialis, quatenus cum alijs convenit in aptitudine subsistendi, & ita in substantijs materialibus, ille modus sumitur ex tota forma simplici, secundum eam præcisam rationem: in materialibus vero ex tota forma metaphysica, seu natura integra, & consequenter ex materia, quatenus ex parte sua confert, ad subsistendum, & ex forma quatenus absolute constituit substantialem naturam: ergo à paritate rationis ens includitur in omnibus differentijs, sive vltimis, sive non vltimis.

13 Vigetur, quia vltima differentia, v. g. rationale habet aliquod constitutivum primum omnino intantum illi, ac proinde quidditative, & essentialiter constituit ipsum in suo esse, sed huiusmodi constitutivum, est quidditas, & essentia rationalis: ergo in formalissimo conceptu rationalis datur essentia: sed essentia est ens nominaliter sumptum: ergo ens nominaliter sumptum includitur in vltima differentia rationali, nimirum quidditative, & essentialiter, ac proinde quidditative, & essentialiter potest constituere hominem, nam prædicata superiora hominis non sunt tota quidditas eius, unde animal non est adæquata essentia hominis, sed præter animal non restat aliud quam rationale: ergo rationale etiam est quidditas, & essentia hominis: sed essentia vt essentia est ens, quia ens vt sic est essentia vt sic: ergo rationale vt rationale est ens; illa consequentia patet, quia ideo animal est essentia hominis, saltem inadæquata, quia constituit essentialiter hominem, sed etiam rationale non solum constituit, sed etiam formalissime constituit tanquam vltimum, & proprium constitutivum essentialiter: ergo rationale est quidditas, & essentia hominis saltem inadæquata: ergo essentia vt sic, provt abstrahit ab adæquata, & inadæquata prædicatur de rationali; sed essentia vt sic quatenus abstrahit à completa, & incompleta, est ens vt sic, quatenus abstrahit ab ente completo, & incompleto: ergo ens vt sic taliter abstractum, prædicatur de rationali, & imbibitur in ipso.

Pater hoc, quia ratio superior abstracta ab inferiori formalissime prædicatur de illa, sicut v. g. substantia vt sic prædicatur de Angelo, & anima rationali, quia præcinditur, & abstrahitur ab illis secundum illud axioma Logicorum (de illo prædicatur aliquid de quo abstrahitur ipsum, sicut ad id contrahitur, & descendit formalissime à quo ascendit, & præcinditur) sed à rationali, quatenus essentia hominis formalissime præcinditur essentia, & quidditas vt sic abstrahens à quidditate completa, & incompleta: ergo essentia vt sic formalissime prædicatur de rationali, vt rationale est. Patet consequentia ex dictis: minor sic probatur, quia ab omnibus convenientibus formaliter in aliqua ratione, potest præcindi talis ratio: sed rationale, & brutum, & animal quidditative, & formaliter conveniunt in ratione quidditatis, & essentiae, hoc est in ratione constitutivi essentialis, seu prædicati essentialis, quia sicut animal essentialiter prædicatur de equo, & constituit essentialiter equum, sic brutalitas constituit brutum, & rationale constituit hominem; imo magis proprie constituit hominem rationa-

le quam animal, quia est propriissimus, & vltimus constitutivus essentialis illius; ergo rationale, & brutum seu brutalitas, & animal conveniunt in ratione quidditatis, & essentiae vt sic: ergo potest præcindi ab illis ratio essentiae vt sic: ergo potest contrahi essentialiter ad illa, ac proinde poterit essentialiter prædicari de illis: ergo ratio essentiae vt sic transcendit vltimas differentias rerum: sed essentia vt sic, & ens vt sic nominaliter sumptum, de quo loquimur sunt synonyma: ergo ens vt sic imbibitur in vltimis differentijs rerum, transcendit illas, & formalissime prædicatur de ipsis, &c. hæc videtur mihi evidens demonstratio.

Nec debilis ratio contra Scotum est, quam Divus Thomas insinuat, videlicet quod si ens non transcederet vltimas differentias, esset genus. Patet hoc, quia in sententia Adversariorum, quorum sententiam sequitur Scotus, & sequuntur Scotistæ, ens est univocum, & ex alio capite est extra differentias: sed genus est univocum, & extra differentias: ergo ens est genus, quia enti, secundum vestram sententiam, convenit tota definitio generis illis duabus particulis contenta: sed vos negatis ens vt sic esse genus: ergo debetis negare aliquam ex illis particulis definitionis generis, scilicet aut quod sit univocum, aut quod sit extra differentias: sed non negatis univocationem entis: ergo debetis negare esse extra differentias, & per consequens debetis concedere quod transcendat differentias vltimas, quod intendimus in hac questione; quapropter si nullam ex illis particulis negatis, sed utramque conceditis enti: ergo conceditis ipsi totam definitionem generis, & sic concedendum est vobis ens esse genus.

Confirmatur à contrario sensu, quia Aristot. 3. 1. *met. tex. 10.* inde probat ens non posse esse genus, quia in omnibus differentijs, & modis quibus contrahitur, essentialiter includitur quod repugnat generi, vt idem Aristot. probat 6. *Topic. cap. 3.* ergo si per vos est univocum, & non est intra, sed extra differentias, erit sine dubio genus.

Nec valet dicere, licet ens non transcendat vltimas differentias, transcendere tamen non vltimas seu subalternas quæ sumuntur à tota forma.

Quia ex hac solutione non sequitur quod ens non sit genus respectu differentiarum vltimarum, sed solum sequitur, quod non sit genus respectu subalternarum; nam idem respectu diversorum potest esse genus, & non genus, vt contingit in omnibus relativis, v. g. animal est genus respectu hominis, & bruti, & non est genus respectu arboris, & Angeli, & est genus respectu Leonis, & Elephantis, & non est genus respectu viventis vt sic, quia respectu illorum est commune prædicatum univocum, & respectu huius non est prædicatum, sed subiectum non est superius, sed inferius; genus autem debet esse prædicatum commune univocum superius, & sic in quantum genus non est subieibile, sed prædicabile, itaque quando tota conditio generis verificatur de vno respectu alterius, licet non verificetur respectu alius, erit genus respectu primi, & non secundi, neque respectu primi definit esse genus, quia respectu secundi non est genus, quia relativa respectu diversorum, sunt vel non sunt alia; ideo enim Petrus respectu geniti à se est Pater, & respectu sui generantis non est pater, quia respectu generantis non concurrunt rationes, quæ concurrunt respectu geniti.

Tunc sic; per vos in ente respectu differentia-

Ecce 3 rum



rum ultimatum dantur omnes particulæ constituentes genus, scilicet univocatio, & non transcendencia seu existentia extra tales differentias, etiam si tales rationes non conveniant enti respectu differentiarum non ultimatum, vel subalternatum: ergo licet ens non sit genus respectu harum, poterit esse genus respectu ultimatum, quia denominatio generis, ut pote relativa potest variari, & mutari respectu diversorum, ut patet ex exemplis adductis, & ratio est manifesta, quia impedimentum quod non tollit in vno respectu alterius definitionem, non potest tollere in eodem rationem definiti, quia definitio, & definitum sunt omnino idem, ut ex terminis patet: sed transcendencia in subalternis differentiis non tollit ab ente quod sit univocum, & quod sit extra differentias ultimas, quæ est definitio generis: ergo transcendencia respectu differentiarum subalternarum, non tollit ab ente respectu ultimatum rationem generis quæ est definitum per talem definitionem: ergo nullius momenti est solutio Adversariorum.

29 Deinde, quia suppositum talis solutionis est omnino falsum, siquidem nulla est differentia, etiam subalterna, & non ultima, quæ sumatur à tota forma in sensu ab Adversariis intento: id est quæ sumatur adæquate, & totaliter à tota forma, & non ab illa inadæquate, hoc est secundum aliquem præcisum gradum, seu conceptum; & deinde non satisfacit, nam quid refert quod ens includatur in quibusdam remotis differentiis, ut non sit genus respectu substantiæ, & accidentis, in quæ proxime, & univoce dividitur per differentias proprias, & extra sui rationem? imo, & econtrario iuxta Scoti sententiam, inferendum esset illas differentias non ultimas, propterea ab ipso finguntur, non esse proprias differentias: sed quasdam species entis: nam res solubiles sunt in conceptum entis, quidditativum, & univocum ipsis, & in aliquam differentiam ultimam, quæ non includat ens: nihil ergo ibi deerit ad constitutionem, & compositionem speciei.

### SECTIO ULTIMA.

*Argumenta adversaria solvuntur.*

30 **A**D fundamentum Scoti respondetur bene posse compati, quod una differentia ultima sit diversa ab alia; & quod cum illa in communi ratione entis conveniat, sicut omnes docent de primis, & universalissimis generibus, quæ propterea non proprie differre, sed primo diversa esse dicuntur, quia alias non essent suprema genera: sed sub alio superiori contenta, præsertim posita univocatione entis, quam Scotus ponit, quomodo autem hoc intelligendum sit, patet ex dictis in prædicamentis, & ex dicendis postea.

31 Ad secundum respondeo illam propositionem servari posse inter compositionem metaphysicam, & physicam, quamdiu in eis sistitur, & consistit in hoc quod nec genus differentiam includit, nec differentia genus, sicut nec materia formam, nec forma materiam; si autem resolvendo metaphysicam compositionem, provenitur ad simplices conceptus non compositos ex genere, & differentia, iam in illis respectu prædicatorum superiorum transcendendum non oportet servari prædictam proportionem,

quia in eis iam non reperitur ille determinationis modus; sed alius iam supra explicatus de maiori, & minori expressione, &c. Deinde addo imprimis non esse necessariam illam proportionem inter compositionem physicam, & metaphysicam, aliqui sicut de omni forma verum est nihil includere materiæ, & de materia nullam includere formam: ita de omni genere seu conceptu determinabili verum sit eundem, quod nullam includat differentiam, & econtrario de omni differentia, quod non includat ens quod est primum determinabile.



### DISPUTATIO III.

*De primo attributo entis, Vnitate scilicet.*

#### QVÆSTIO I.

*De significatione nominis Vnum.*

**H**OC nomen primo significat principium cognoscendi, quod his verbis asserit Arist. lib. 5. met. cap. 6. Principium ergo cognoscibilis circa quodlibet unum: uni vero esse est principium alicui numero esse: supra quæ sic ait Divus Thom. lect. 8. Res autem cognoscuntur per sua principia, & ex hoc patet quod principium est unum notum vel cognoscibilis circa quodlibet, & est in omnibus principium cognoscendi, ut v.g. in genere consonantiarum est unum quod est diesesis, quod est minimum in consonantiis: diesesis enim est semitonium minus: item in gravitatibus sive ponderibus est aliquid unum minimum, quod est principium sicut unitas, vel aliquid aliud minimum, & in moribus sicut simplicissimus & velocissimus motus est principium, seu unum: rationem autem quare hoc principium unum dicatur, his verbis tribuit: in omnibus tamen istis hoc est commune, quod illud quod est principium, est indivisibile.

Secundo significat mensuram in vnoquoque genere, & sic Arist. convertit illam cum principio his verbis: uni vero esse alicui numero esse; prima namque mensura principium, nam quo primo cognoscimus hoc est prima mensura cuiuslibet generis, unum quidem mensura est: sic ille, ratio autem quare mensura debeat esse unum quid, seu una ratio est, quia mensura debet esse certa, determinata, & statuta, & ideo in ea ratione indivisibilis vocatur, vel aliter, quia summum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, cum autem summum ut summum sit unum, & non plura, non habet divisionem in se, & sic indivisum est: ergo unum.

Tertio significat hoc nomen unum, illud quod perfectum est, quod his verbis explicuit Arist. Quæ circuli maxime una linearum, quia tota & perfecta est: super quæ verba sic ait Divus Thom. & ex hoc patet, quod linea circularis est maxime unum, quia non solum habet continuitatem, sicut linea recta; sed etiam habet totalitatem, & perfectionem quod non habet linea recta, perfectum enim, & totum est cui nihil deest, quod quidem contingit lineæ circulari, non enim potest sibi fieri additio seu demptio: sic Angelicus Doctor, itaque propter indivisibilitatem perfectum dicitur unum, quare